

gmentat. Tertius ludus corpus ad vitam præparat. Ex flore namque sanguinis fit sal petra, cum primo ludo puerorum. Quo factò restat ipsum animare, & frequenter cum suo compari in aquam soluere, cum duobus alijs puerorum ludis, qui necessarij sunt, vsque ad tertium calorem nostri Elixiris in opere mulierum, quod opus earum est coquere; qui ergo potest capere capiat. Præterea lapis noster, quem omnes Philosophi quaesierunt, in quo sunt prima elementa mineralium, & tinctura, calx & anima, spiritus & corpus fixum & volatile. Mercurius non quilibet, sed ille circa quem natura suas primas operationes incoepit, & eas primas operationibus determinauit, ad naturam metallicam, sed imperfectè rem illam reliquit. Si ergo ab illa re extraxeris in qua inuenitur, & cum ea incoeperis operari, incipiendo in eo vbi natura reliquit, imperfectum inuenies in eo rem perfectam, & gaudebis sicut dixit rex Geber. Et hanc rem de qua extrahitur lapis habent tam pauperes, quàm diuites. Et est opus mulierum & ludus puerorum, & flos eius est lapis. Recipe ergo in Dei nomine rem illam, quæ non est perfecta. Ex perfecto enim nihil fieri potest: quoniam species rerum perfectarum à sua natura non permutantur, sed potius corrumpuntur. Nec illa res ex aqua noster lapis extrahitur, vel materia lapidis est penitus imperfecta, cum secundùm artem ex tali scilicet imperfecto, nil fieri possit, ratio quia ars primas dispositiones naturæ inducere non potest. Sed ipsa est res medià inter corpora perfecta & imperfecta. & quod natura in ipsa non perficit, sed tantùm incoepit, hoc per artē poterit reduci ad perfectum. Ideo Fledius Philosophus dicit: Cùm homo sit dignissimum creaturarum, cuius gratia & amore omnia sunt condita, eidemq; subiecta. Et illud cuius corpus non recipit extimationem, quoniam in eo est quod sanitatem iuuentutemq; conseruat morbos atque languores ab homine & metallis repellit, & omnem superfluitatem consumit. Et hoc totum operatur nostrum Elixir super omnes Galeni, Hippocratis, Auicennæ, & aliorum Philosophorum medicinas, potationes & confectiones quascunq;: etiam lepram ab homine repellit.

Hinc